22
C
36

6
10-f
48

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
9 F
2

Bibliotheca
[illegible]ri Coll. Rom.
[illegible]ociet. Jesu

6 – 10 – f – 15

22 – e – 15

i 5/16

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO
IN FUNERE
Ser.mi Luſitaniæ Regis
PETRI II.

BIBLIOTECA N. C. ROMA VITTORIO EMANUELE

ORATIO
IN FUNERE
Ser.mi Luſitaniæ Regis
PETRI II.
HABITA

In Templo S. Antonii ejuſdem Nationis dum ei regio nomine parentaretur

AB JO: VINCENTIO LUCCHESINIO

Patritio Lucenſi.

ROM. SOC. IESV. BIBL. SEC. COLL.
IHS
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ, Typis Bernabò. MDCCVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Ser.^{mo} Luſitaniæ Regi

JOANNI V.

JO. VINCENTIUS LUCCHESINIUS
FELICITATEM.

CUM *nihil, Rex ampliſſime ſit in rebus humanis vel ad ſplendorem nominis, vel ad publicam utilitatem vir-*

Digitized by Google

tute præſtantius, nihil ad acquirendum magis arduum, atque impeditum, ſummis profectò laudibus ornari debent, qui labore, induſtriâque ſuâ rem tam difficilem conſecuti communi, privatoque bono conſuluerunt. Ea verò cura ab iis maximè ſuſcipienda eſt, qui ſummo cum imperio præſunt Reipublicæ, *præſertim cum ſui ordinis Viros egregiâ floruiſſe virtutum laude compertum ſit.* Ipſorum

enim

*enim quamplurimùm re-
fert, honeſtiſſimâ rectè
geſtorũ celebratione eam-
dem oſtendere, ac ſapien-
tiſſimos Principes vitâ
functos, in Rempublicam
voluntatem, quâ ſibi con-
ciliare poſſint populorum
benevolentiam. Quod con-
ſilium plenum prudentiæ,
& diſciplinæ à Majeſta-
te tua diligenter captum,
luculentiùs explicatum,
fuiſſe nemo ſatis commen-
dare poteſt. Nam eximias
virtutes clariſſimi Regis*

Patris tui tantis ubique honoribus, & laudum monumentis condecoraſti, ut non minus pietati tuæ, quàm ſummi Principis decori, communique hominũ deſiderio fuerit ſatisfactum. Romæ quidem tuo nomine, ut reliqua taceã, funus illi curatum eſt eo ſplendore, ac magnificentia, quæ tuæ, ejuſque amplitudini conveniret, quęque Luſitani Regis majeſtatem in omnium oculis collocaverit. Numquã

tamen

tamen vehementiùs paternæ laudi te ſtuduiſſe cenſendum eſt, quàm cum tuis virtutibus effigiem exprimis virtutum ſuarum, tuâque ſplendidiſſimâ gloriâ ejus gloriæ cumulum affers. Quid enim poteſt illuſtrius patris memoriam poſteritati propagare, quàm ejus exemplis, inſtitutiſque aſsecutus omnem virtutis præſtantiã lectiſſimus filius? cum maximè ad ipſum im-

mor-

mortale decus nitatur, quod ille mirificè ſit perſecutus. Qua ſpectatiſſimâ laude pervagato omnium rumore celebratur Majeſtas tua. Ad nos enim quotidie afferuntur nuntii de tua ſingulari pietate; in explicandis rebus conſilio; ſolertiâ in belli, & pacis artibus; in adminiſtranda Republica gravitate, ac furtitudine animi, ut mirum videri poßet, virtutes omnes in te exornando, am-

pli-

plificandoque non expe-ctaſſe annorum maturitatem, ſed in ipſo adoleſcentiæ Vere domicilium in te ſtabile poſuiſſe, niſi nobis perſpectum eſset, atque exploratum, quanto ſtudio, & quanta domeſticæ laudis æmulatione à teneris, quod ajunt, unguiculis paternas virtutes diligenter colueris, in iiſque fovendis præverteris tempus ætatis. Quod cum animo cogitarem, videremque eo te latè de-

core

core circumfluentem, quo tantam ſui admirationẽ movit Rex pręclariſſimus PETRUS, *collegi me quidem, & confirmavi, cùm primùm ea provincia mihi delata eſt, ut res ab illo præclarè geſtas oratione complecterer. Intellexi enim verendum mihi non eſſe, ne tenuitate ingenii mei clariſſimi Patris tui laudes obtererentur, cum tu illas Mortalium generi contemplandas proponis in te ipſo feliciſſimè*

ex-

expreſſas; & quas depingere coloribus eloquentiæ mearum virium non erat, earum perfectam, egregiamque imaginem in Majeſtate tua conſpici poſſe. Quamobrem tuâ in illum pietate fretus ſummo obſequio, ſummaque veneratione demitto ad pedes Majeſtatis tuæ hāc rudem, exilemque lucubrationem, ut præſtantiſſimi Regis Patris *tui virtutibus in ipſa leviter adūbratis, lucem, atque*

orna-

ornamentum afferre velis tuarum virtutum ſplendore. Quod ſi illam excipere tuâ ſingulari clemẽtiâ, id etiam ei dare non recuſaveris, ut in tuam illuſtrem, potentiſſimamque clientelam me conferat, fructum ex ipſa quàm maximum capiam Quid enim mihi poſsit jucundius, quid glorioſius accidere, quàm ejus ampliſsimi Regis auctoritate, ac patrocinio tegi, qui ſuâ majeſtate, & famâ

vir-

Digitized by Google

virtutum jampridem ab omnibus colitur, atque obſervatur, quique vigilantiâ, magnitudine animi, prudentiâ, & rerum geſtarum gloriâ, quam de ſe concitavit egregiam expectationem, nunc eximiè tuetur; mox Regni ſui, & Chriſtianæ Reipublicæ beneficio ſuperaturum eſſe nemo non videat.

Im-

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

IMPRIMATUR

Fr. Jo. Baptiſta Carus Sac. Theol. Magiſter, & Reverendiſs. P. Fr. Paulini Bernardinii Sac. Pal. Apoſt. Mag. Socius Ord. Præd.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CREDO equidem, PP. EE. ſi ullâ rerum humanarum curâ, ulliſque difficultatibus magnitudo animi frangi, aut virtus umquam de ſtatu dignitatis convelli poſſit, & ſi deceat aliquando fortiſſimos viros mærore confici, ac labefactari; tum ſane illos fletu, juſtiſque lachrymis contabeſcere, cum optimo præſtantiſſimoque Principe orbata Reſpublica clade omnium maximâ

affligitur. Quis enim tam duro, atque agreſti animo ſit, qui elatam acerbiſsimo funere communem felicitatem, ejuſque mortem non doleat, cujus virtute fortuna atque opes Imperii; ſplendore, decus, ac nomen; authoritate, ſalus publica nitebatur? Verùm in tantâ, graviſſimâque Civium ærumnâ, quamvis nequeat animus ſe colligere, ac prorſus abduci à ſummi luctus acerbitate; tamen ſapientibus viris ita dolori obtemperandum eſt, ut dolor ipſe communi ſerviat
utili-

utilitati, ex eodemque luctus, & mœſtitiæ fonte, quo allui malorum fluctibus videbamur, haurienda ſunt nobis lenimenta ægritudinis, perditis rebus præſidium, quaſſatæ Reipublicæ robur, ac dignitas. Hæc igitur ſi morte clariſsimi Principis perculſa, ac debilitata implorat hominum fidem; quærit, qui ſe miſeram ſtudio foveat, ope confirmet; curandis civilibus malis, tuendæque ſaluti, nobis eſt ille cuſtos Imperii, ille auctor publicæ felicitatis ab interitu revocandus, & quam

illi mortalem vitam eripuit naturæ noſtræ conditio, ea mæroris vi ſæpius in memoriam redacta, nobis eſt immortalitati commendanda, ut ipsâ ſummi viri recordatione ulciſcamur dolorem noſtrum, qua ſit laceſsitus. Vivat in celeberrima populorum luce, in omnium hominum ore, præclariſque virtutibus, quibus antea Civibus ſuis, non legum ſeveritate moderabatur, ampliſsimâ, honeſtiſsimâque laude decoratis teneat Imperii clavum, & numquam non præſit Rei-

pu-

publicæ . Quod ſalutare , æquiſſimumque conſilium , quo ſemper Majores noſtri partum ſibi ſapientiſſimorum Principum vitâ bonorũ fructum , Poſteris integrum, atque incorruptum ſervarunt , ſi umquam alio tempore, hoc utique nobis adhibendum eſt, quo PETRUS potentiſſimus Luſitaniȩ Rex,luctuoſâ obitâ morte , triſte ſui deſiderium reliquit . Magnis enim , & regio nomine dignis virtutibus adeo claruit , ut ſæculorum memoriæ conſignatæ , Luſitaniæ populis præſidio ,

atque ornamento; exteris Nationibus exemplo ; cunctis admirationi eſſe debeant. At verò unde potius in lucem hominum prodeant, quàm ab iſta Sanctiſſima Religionis Sede, ab hoc principe terrarum Orbis loco, quo ut Regum virtutes amantiſſimo ſinu excipiuntur, ſic illas conſentaneum eſt, eximiis honoribus, honeſtis laudibus ornari, atque augeri? Quod utique præcipuo quodam jure ſibi vindicat Rex ampliſſimus PETRUS, quo rebus præclarè geſtis, maximâque facinorum

glo-

gloriâ eſt optimè de communi Religione, de hac Republica meritus. Quamobrem dum vos, Luſitani Viri, hac pompâ triſtiſſimi luctus, hoc funere, quod ornatiſſimum ducitis, extrema illi pietatis, obſequii, grati animi officia perſolvitis, ego ipſius virtutibus, quæ ad benè gerendam Rempublicam pertinent, ad veſtros animos revocatis, præibo veſtras laudes, veſtramque celebrationem, efficiamque profectò, ut omnes facilè intelligant, earum commendatione clariſſimum Regem

ſummo Populi deſiderio Luſitani Imperii gubernacula ſuſcepiſſe ; ſumma utilitate adminiſtraſſe ; ſummo denique luctu extremum diem funeſtâ omnibus morte confeciſſe .

Et quoniam mihi de ſummo , ac ſapientiſſimo Rege dicendum eſt , qui latiſſimos Imperii fines magnitudine mentis ; incredibilem Majorum gloriam , Virtutum ſuarum laudibus ęquaverit, ſilentio quidem præterire non poſſum hæc tanta , ac tam illuſtria ornamenta fortunæ ,

quæ ad honeſtandam ejus animi dignitatem mirificè conſpirarunt; non quò reputem blandis hiſce fortunæ illecebris multum ſplendoris, aut gratiæ Viris ſapientibus comparari, ſed ut vos ipſi vobiſcũ taciti cogitetis, quantâ illum floruiſſe Virtutum laude cenſendum ſit, qui clariſſimâ è ſtirpe eductus, ac tantâ circumfuſus Majorum luce, tamen & ipſorum decus augere, & ſibi relictum patrimonium gloriæ non ſolùm tueri, ſed etiam amplificare potuerit. Regale igitur Lu-

ſita-

ſitanorum Principum genus, ſi ab ultima antiquitate memoriam temporum repetas, eâ eſt vetuſtate, ut à remotiſſimo Burgundiæ Regum Trunco originem ducat; ſi amplitudinem, eo ſplendore, ut nullum ſit Victoriæ genus, nulla rerum geſtarum fama, nulla Sanctitatis, nulla Religionis opinio, quæ prȩclarum Familiæ nomen immortalitati non commendaverit; ſi fortunam, eâ felicitate, ut ab ipſo fortiſſimæ gentis exordio Alphonſus uno prælio, quinque Maurorum Regibus oc-

cidione deletis, ac vindicatâ in libertatem Provinciâ, delatum ſibi populorum conſenſu Luſitaniæ Imperium, veluti eorum in ſe liberalitatis, ſuique in illos beneficii monumentum, Poſteris conſignaverit. At quantus perpetuò manſit in Reges ſuos, & quàm firmiſſimus Civium amor! quæ manet adhuc voluntas, quod ſtudium! Age verò commemorem victas ipſorum Regum auſpiciis incogniti Maris difficultates; novas, atque inauditas gentes ſub jugum miſſas; emerſas, pro-

prope dicam, è pelagi fluctibus ad eorum decus, ac nomen ditiſſimas Inſulas; & quaſi ad ſplendorem Imperii terrarum Orbem auctum, ac propagatum; ut mihi diligenter hæc animo reputanti in eorum mehercule poteſtatem ſe ipſa tradidiſſe fortuna videatur. Quî autem velim peragrare dicendo ampliſſimos Regni fines, quod ſuorũ Regum virtute per quatuor terrarum partes uſque ad extremas oras tam longè, latèque diffunditur, ut numquam ex omni regione occiden-

tem

tem Solem aſpiciat? Aut qui poſſim oratione complecti Luſitanæ gentis præſtantiam animi, ac robur? Tanta eſt enim majeſtas hujus Imperii, tanta hujus populi dignitas, ut nulla tam ſit remota terrarum pars, nullus tam reconditus Oceani ſinus, litus nullum, aut ora, quò, conſtantiſſimo vulgi rumore celebrata, non ejus fama pervaſerit; aut ubi Luſitanæ cum fortitudinis, atque induſtriæ, tùm pietatis, & religionis non ſint impreſſa veſtigia. Quoties enim fortiſſima gens cum

barbaris, bellicoſiſque Nationibus, plerumque vel parvâ manu de Imperio, aut de gloria decertavit? Quoties verò armis conflixit, quin victoriam retulerit? Quoties victoriæ potita eſt, quin ſecum de profligatis hoſtibus æquitas, ac religio triumphaverint?

Magnæ quidem felicitatis eſt, Auditores, ſpectatiſſimâ in gente claris parentibus naſci; ſingularis, eximiæque fortunæ, naſcendo, familiæ nobilitatem ſummâ rerum potentiâ, & faſcibus ornatam conſequi: perfectæ

verò,

verò, cumulatæque virtutis, maximâ iſtâ fortunæ liberalitate ſapienter uti, idque dies, noctesque cogitare, non quid à Majoribus tuis acceperis, ſed quanta illis egregiè factorum copia pro partâ honoris hæreditate, pro tantis opibus, & dignitate Imperii ſit perſolvenda. Qua profectò veræ laudis cupiditate, vehementer incenſus Rex ampliſſimus PETRUS non domeſticæ amplitudinis decore, non rerum omnium affluentiâ delinitus hæſit ad metas, ſed ſtatim ab ineunte ætate literarum ſe di-

ſci-

ſciplinis excolendum tradidit, & quo pluribus otii, ac voluptatum blanditiis detineri potuiſſet, eò impenſiùs laborioſum Virtutis iter ſtuduit inſiſtere. Tanta verò ingenii alacritate, tam facili, atque expedito curſu eas omnes prę ſtantiſſimas artes complexus eſt, quibus rectè adminiſtrandæ Reipublicæ ratio continetur, ut illud jam mihi ex Homero Platonis dictum veritate inniti videatur: occultâ quadam mentis vi, ac potius Deorum immortalium, quàm hominum diſcipli-

plinâ Principes erudiri. Quamobrem veluti Agricolæ induſtriâ commiſſum pingui, & ſubacto ſolo generoſæ arboris ſemen, nullo deinde cultu ſponte ſuâ radices agit; ſenſim adoleſcens educit ſtirpem, firmiſſimoque extollitur trunco; fert demum ſuo tempore lætos, ac ſuaviſſimos fructus; ſic ille ſemel exculto pueritiæ inſtitutis ingenio, nunquam non maximâ bonarum frugum ubertate Rempublicam locupletavit; cum & in ipſa adoleſcentia, quæ tantis per ſæpe jactatur cupi-

ditatum fluctibus, ut non facilè poſſit mente conſiſtere, eâ fuerit in percipiendis negotiis celeritate, in explicandis conſilio, in conficiendis induſtriâ, ut ex illo Juventutis Vere, tamquam è palmitum gemmis, quantam virtutum maturitatem allatura eſſet firmata jam ætas, nemo non intelligeret. Nam quid ego dicam de ſingulari morum ſuavitate, qua cum cæteros dignitate antecelleret, par Civibus videbatur? Quid ſermonis manſuetudinem, moderationem in privatis re-
bus

bus, ſplendorem in publicis; fidem, liberalitatem commemorem? Quibus virtutibus omnium ad ſe oculos rapuit, ſummâque animos detinuit admiratione. Tantus enim fuit illarum ſplendor, tanta dignitas, atque amplitudo, ut non ſolùm pervagato populorum ſermone,ſed perenni, ornatiſſimoque monumento, immortali hominum memoriæ ſint conſecratæ. Itaque dum vivet Luſitani nomen Imperii, dum florebit nobiliſſimę gentis decus,quod erit utique ſempiternum,me-

morabitur illud maximum, ampliſſimumque facinus, quo Senatus, cæterique Ordines quid de clariſſimo Adoleſcente ſentirent, & quam ille ſuſtineret virtutum ſuarum expectationem, prodi ſæculorum memoriæ voluerunt. Siquidem cum Reipublicæ ratio poſtularet, ut ad clavum Imperii ſederet is, qui poſſet prudentiâ, ſolertiâque ſuâ vitare procellam temporis, & curſum ex communi utilitate moderari, delatum eſt optimo Principi, quod ei ſecunda naſcendi ſors dene-

gaverat , regium nomen , atque auctoritas ; ultaque Virtus non modo eſt Fortunæ injuriam, ſed eò magis Alumnum ſuũ cumulatiſſimâ gloriâ decoravit, quò longè pręſtantiùs eſt , ſummâ populorum voluntate conſtitui Regem , quàm naſci ; cum hoc ſit ampliſſimum fortunæ munus, illud virtutis. Quæ nunc vos tenet expectatio rei , Auditores ? Quem exitum cogitatione , atque animis veſtris præcipitis ; Senatus , cenſeo, voluntati egregium Adoleſcentem non defuiſſe ? Hone-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſtum reputaſſe, ſplendidiſſimo Civium ſuorum uti beneficio; cum præſertim iis, qui darent, juſtitiâ, prudentique rerum moderatione poſſet reſtituere? At nolite, quæſo, illius virtutem, ac magnitudinem animi communibus officii terminis definire. Saltem in eo ſe facilem præbuiſſe, ut Regni particeps fieret? neque enim Regem affici injuriâ, cum ille Imperii ſocius adſcribitur, qui poſsit ejus auctoritatem adversâ populorum opinione concuſſam, ac debilitatam præſtantiâ,& forti-

titu-

titudine ſuâ erigere, & confirmare. Magnum hoc quidem, & neſcio an dicam maximum! coercere anguſtis finibus, cum poſsit expleri, immenſam regnandi cupiditatem, eumque ambitioni modum imponere, qui non ex ſuo, ſed ex alieno beneficio cõſtituatur. Verùm expectate facinus longè illuſtrius, atque admirabilius, quodque nulla umquam ætas, nulla delere poſsit oblivio: Incredibili conſtantiâ, atque invicto animi robore delatum ultro Imperium recuſavit;

nullis Senatus precibus, nullo populi deſiderio, paſſus eſt dimoveri de gradu virtutis ſuæ, aut ampliſsimis fraternæ dignitatis ſpoliis exornari. Video equidem, Auditores, me in lubrico, difficilique orationis loco verſari. Quid enim? Laudi duco non geſtum à Principe Senatui morem, non habitam Civium rationem, non communi Regni bono conſultum? At quæ laus in geſto præclarè officio, quo maxima infligantur vulnera Reipublicæ? Quæ gloria in privata vitæ ratione,

publicis utilitatibus antepoſitâ? Contra verò, quî poſsim clariſsimi Adoleſcentis moderationem animi in rejicienda Imperii majeſtate non ſummis laudibus extollere? Nihil enim illuſtrius ad ſplẽdorem nominis, ad poſteritatis memoriam, quàm devictis potentioribus animi affectibus regias opes, atque inſitam Mortalium mentibus regnandi libidinem pro Fratris decore devoviſſe. Verùm enimverò non eſt, cur ancipiti diſtractus curâ, modum quæram orationi meæ. Siquidem

dem ſapientiſsimi Principis divina, atque incredibilis virtus, cum longè latèque intueretur, poſſe aliquando, quodcumque in alterutram partem iniviſſet conſilium, iniquis hominum animis dilacerari, omnem officii laudem cùm publici, tùm privati complexa eſt, & miro quodam Imperii, & ſervitutis nexu ſuſceptâ ſolâ Regni tutelâ, repudiatoque Diademate, communem populorum ſalutem, ac fraternæ majeſtatis jura ſarta tecta ſervavit; ſimul verò ſuæ in Cives pie-

tati,

tati,in Fratrem benevolentiæ cumulatiſsimè ſatisfecit. Itaque ut uberibus aquis flumen ditiſsimum, Nilus, dum præruptis Ætiopiæ rupibus, & montium faucibus concluditur, exiguas dumtaxat valles, & riparum anguſtias pinguiſsimo fœcundat limo; cum autem Ægypti campos ingreditur, maximas opes per latiſsima illa terrarum ſpatia diffundit, eumdemque ſtatuit alueo terminum, quem ſuæ liberalitati. Sic ille ad gerendam Rempublicam evocatus, veluti ſuis virtutibus in

aper-

apertum deductis , quantis illam beneficiis auxit , ſtudio fovit , auctoritate munivit ? Nego enim clariſſimos viros ullâ umquam floruiſſe virtutum laude , qua ille non circumfluxerit , quaque ſibi ornamenta dignitatis ; Reipublicæ , præſidium ſalutis non conſtituerit. Nego, quicquam eſſe jucundum Civibus , glorioſum Imperio , exteris Nationibus probatum,acceptum ſociis, atque amicis Regibus, quod non obierit ſummâ induſtriâ , alacritate ſuſceperit , nullâ deterritus difficultate ,

in-

incredibili animi vi, non expedierit. Nego, ullum afferri poſſe argumentum pietatis, religionis indicium, exemplum manſuetudinis, atque juſtitiæ, quibus ille non ſibi veneratione Superos, beneficiis Regnum, amore Mortalium genus devinxerit. Magna videor dicere, quæ tamen Rex ampliſſimus in adminiſtrandâ Republicâ novis etiã muneribus cumulavit. Nam ſi maximis effertur laudibus, conſtituere in foro judicia; tueri legum authoritatem; literarum ornatiſſimas artes

exco-

excolere ; explicatâ mercatorum navigatione privatas fortunas augere ; publicas induſtriâ ; præbere demum Civibus ſuis otium cum dignitate;ea omnia luculenter præſtitit, atque ita præſtitit, ut numquam tantis opibus Luſitaniæ Regnum affluxerit ; numquam major conſtiterit Ærarii ratio ; numquam meliùs repreſſa morum licentia; recreata præmiis virtus;æquitas, ac Fides in Foro reſtituta. Atque iſta quidem Domi; illa verò quæ foris geſſit, quanta, & quàm illuſtria ſunt? Fracta Afri-

Africanorum Regum audacia; mitiſſimis legibus mollita Victoriæ ſeveritas; amplificati Imperii fines; ad barbaras, remotiſſimaſque Nationes deducta veri Numinis Religio. Verùm temperandum mihi eſt; vereor enim, ne ſi temerè ad ejus laudes aggrediar, prorſus auferar magnis rerum ab eo geſtarum fluctibus. Itaque in iis celebrandis ea cura adhibenda eſt, quam qui ſe mari committunt. Hi ſiquidem non quocumque ventorum impetus ferat, inconſultò vagantur,

tur, ſed quò, ſolventes, navem ſtatuerant admovere, eò firmiſſimè adnituntur; collectoſque velis ventos, qualibet è Cœli parte moveantur, ſibi arte cogunt obſecundare, expeditâque navigatione portum celeriter tenent. Quos igitur virtutum ſuarum fontes aperiam? Quas earum ad veſtros animos revocabo? Eas profectò, quas in ſummo Rege ineſſe arbitror oportere, in iiſque ſalutem, felicitatemque publicam contineri: Sapientiam, Religionem, Clementiam. Et ſanè quis illo
ſa-

ſapientior unquam fuit? Quis rerum omnium moderatricem prudentiam diligentiùs coluit? Qui cum ejus diſciplinis inſtructus ſecum animo cogitaret, proſperam regnorum fortunam non bellicis artibus, aut armorum vi, ſed trãquilliſſimo pacis otio conſtitui; nec quicquam Civibus utilitati, aut ornamento eſſe, quod quieto Reipublicę tempore non effloreſcat, ad pacem tuendam, conſervandamque, omni vitæ curſu vehementer incubuit. Sæpius vidit ardentem bello Hiſpa-

niam , flagrantem Europam, corripi martialibus incendiis nobiliſſima regna , çum interim nulla Luſitaniam flamma pervaſerit. Sæpius ampliſſimis conditionibus ad arma excitatus , quamvis ſummâ ſpe duceretur, ingenti prædâ, manubiiſque ornatum iri, maluit honeſtiſſimæ paci ſtudere , quàm ad eam gloriam aſpirare , quæ nonniſi Civium incommodis , & cruentâ provinciæ calamitate comparatur . Quâ-cum temperantis , moderatique animi præſtantiâ quæ umquam tam ſplen-
dida

dida victoriæ laus conferri poteſt ? Nam bellica virtus populorum lachrymis alitur, ſordet civili ſanguine, & funeſtâ quadam lætitiâ in publico ſolùm dolore celebratur. At verò pacis amor gratus ubique excipitur communi plauſu, reficit hilaritate Mortalium mentes, & quam illis affert otii ſecuritatem, vice ſua Principi reddit, qui nunquam tantùm hoſtibus terrori eſt, quàm cum amatur à ſuis. Quod ſi hoc miſero, fatalique bello, quo nunc Europa concutitur, ipſe etiam implicari

neceſſe habuit, id magis temporum culpæ, quàm mitiſſimi Regis voluntati tribuendum eſt. Et quidem niſi in tanta Reipublicæ flammâ ſe commoviſſet, ejus fortaſſe tranquillitatem, ut corporis, quod cum uritur non cohorret, ſtuporem potiùs, quàm virtutem reputaremus. Atque iſtam ſingularem animi lenitatem, ne quiſquam dubitare poſſet naturæ, aut inertiæ fuiſſe, quibus non rarò à militari gloriâ ad otii ſtudium traducimur, ſed conſilii, & ſapientiæ, ut Domi pacis arti-

bus regni bono conſultum voluit, ſic foris armorum ſtrepitu, injectoque belli timore ſæpius hoſtilem Barbarorum audaciam vindicavit. Quoties enim inſtructis, ornatiſque fortiſſimis claſſibus jacentem in Aſia ſociorum Regum fortunam erexit, & confirmavit? Quoties vel ad Imperii majeſtatem, vel ad frangendos terrore hoſtes, invicta Luſitanorum gloria illa navalis per Aſiæ, atque Americæ litora volitavit? Miramur tot in Aſiâ, atque Africâ potentiſſimos Principes, moribus, religio-

ne, inſtitutis à gravitate Chriſtiani nominis, à ſplendore hujus Imperii longè abhorrentes, tributis Luſitaniæ Regem delinire, amicitiam obſequio colere, fide tueri! Non ea eſt ferarum gentium diſciplina, ut fæderibus, aut beneficiis à cœde, à rapina, à ſceleribus deterreatur. Viget adhuc, viget per ea loca, PETRI Regis auctoritate, ac præmiis quamplurimùm recreata Luſitana Virtus, & fortitudo, qua ſanè perterriti demittunt furentes odio animos, atque in officio continentur.
An

An putatis quemquam eorum eſſe, quem lateat, Petræ audaciſſimum Regem, (quæ non ignobilis Africæ provincia eſt), cum ſuperioribus annis Luſitanum robur laceſſere armis non dubitaſſet, unico prælio victum, ac profligatum? profligatum verò? imo regno, ac vitâ, quam fœdè latrociniis exegerat, juſtiſſimè deſpoliatum. Nam cum Vir perditiſſimus iniquo animo ferret, tria ſibi finitima regna in Luſitani Regis poteſtatem jamdiu redácta florere quotidie magis ſanctiſſi-

mâ veri Dei religione; Fidei ſimul, & hujus Populi nomen ſtuduit extinguere. Quare conflatis undique copiis, quarum ipſe ordines duceret, ſtetit, ardentibus furore oculis, paludatus in acie ad Regni fines. Verùm in eo prælio, quod acerrimè commiſſum eſt, palam oſtendit Virtus, quid poſſit in diſcrimen adducta. Cum parvâ Luſitanorum manu pulſus, fugatuſque Rex, percuſſoque exercitu, dederit audaciæ pœnas, eò ſolùm felix, quod vivens, non auxit Victori triumphi glo-

riam,

riam; morienſque, ignobilem vitam cum honeſta morte commutavit. Regnum vero in deditionem acceptum manet perenne regiæ fortitudinis monumentum; ut regni Hæres in Europam traductus clementiæ, & pietatis. Illum enim implorantem communem Regum fortunam, juſſit PETRUS bono animo eſſe, ſibique non minus glorioſum duxit ſuperare armis hoſtes, quàm eorum precibus vinci; quin etiam per omnem ætatem regio ille cultu, ſummâque exceptus humanitate,

ſuo

ſuo periculo didicit, quàm longè præſtet in nobiliſsimo regno parere optimo Principi, quàm in Africa barbaris Civibus imperare. Neque verò id unum victoriæ decus perculit metu Barbarorum mentes, eiſque in memoriam redegit veterem illam militię laudem, quam, feris nationibus ubique gentium dejectis, Luſitana ſibi magnitudo animi peperit. Longè ipſis major injectus timor ex conſtrictâ legum, & tributi vinculis Gingâ potentiſsimâ Africæ Amazone. Ea ſiquidem latiſ-

ſimi

ſimi Imperii viribus, magnis opibus, atque ingenti exercitu freta, inſolens militari gloriâ, atque alienâ fœminis laude, quem illorum armis non fregerat? Cui leges non impoſuerat? Hanc utique inflatam Barbarorum triumphis, longè, latèque furentem, vaſtitatem Africæ minitantem, multis præliis victam, ac debilitatam, veluti injecto fræno, cohibuit Luſitanorum vis, atque humilem, & manſuetam reddidit. Non tamen afflictâ fortunâ miſeram ullâ inuſsit ſervili notâ, nec ejecit

è patrio regno Rex magnanimus PETRUS ; ſed contentus victoriæ plauſu præmium remiſit ; perditamque, ſupplicem, & mortem potiùs, quàm ſervitutem orantem, re poſito diademate, indictiſque conditionibus, & tributo, regnare juſsit. Habuit in ea condecoranda virtutis rationem ; habuit dignitatis. Noluit præclarum hoc fœminæ robur carere fortunæ ornamentis ; aut regiam fortunam tanto ſplendore Virtutis. Itaque redemit Victa opinione fortitudinis ampliſſimum Regnum;

auxit

auxit Victor clementiæ famâ triumphi nomen. Quod ſplēdet eximium factum majori decoris luce? Celebratur victoriæ laude;extollitur pietatis munere; liberalitatis demum beneficio cumulatur. Proh Superûm,hominumque fidem! Ea ne divina, atque admirabilis PETRI Regis ſapientia eſt, ut poſſit non unâ ſolùm Virtute cōplecti quicquid gerit aliorum bono. Quod ſi fuit in exornandis hoſtibus tantâ manſuetudine, tam gravi, & ſingulari conſilio; quâ in ſociis, atque amicis

cis nationibus amplificandis viguiſſe mentis vi arbitramini? Vos agreſtes Braſiliæ populi, vos feræ, atque inconditæ gentes, vos, inquam, imploro, atque obteſtor, quas ille à ferarum immanitate, ab execranda vitæ conſuetudine ad honeſtatem, & mores hominum revocavit. Vos quidem, quas Martis impetus jamdiu profligaverat, nonne pariter clariſſimi Regis prudentia prope in libertatem reſtituit? Nam cum aliqua veſtræ Reipublicæ ratio conſtituenda foret, eas ille mitiſſi-

mas

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
mas leges impoſuit, quibus ad humanitatem potius, quam ad ſervitutem informaremini. At quanto iſtud conſilio? quantâ ſapientiâ? Rectè ſiquidem exiſtimavit, expertes humanitatis animos nullis umquam obedientiæ laqueis obſtringi poſſe; contra verò ſi lenitatem doceantur, ſponte jugum ſubire, cum ſuo periculo diſcant, ſua magis referre, alienis voluntatibus, quàm propriis moribus obtemperare. Qua quidem in re ſplendidiſſimum Titi Flaminini conſilium, quod nulla

um-

umquam inobſcuratura ſit æ-
tas, captum fuiſſe laudare ſa-
tis non poſſum; cum Impera-
tor Populi Romani, poſt obi-
ta tot annos terrâ, marique
prælioṛum diſcrimina, ever-
ſas Macedonum copias, &
magnâ belli contentione ſu-
peratum Regem Philippum,
demum confecto bello, græ-
ciſque Urbibus, quæ ſub illius
Imperium fuerant, in dedi-
tionem acceptis, convocatâ
concione, eas è regio domi-
natu ereptas de Conſilii Sen-
tentia juſſit in poſterum libe-
ras eſſe, ac ſuis legibus vive-
re,

re; nullum ſe jucundius victoriæ præmium Populo Romano exhibere poſſe, quàm ipſarum felicitatem. Obſtupuit florentiſſima Natio ad admirabilem vocem, & quaſi ad augendam inauditæ pietatis fidem crebris uſurpabat ſermonibus: eſſe gentem in terris, quæ ſuo labore, ſuo periculo bella gerat pro aliorum libertate, & ne ullum ſit injuſtum Imperium in toto Orbe terrarum. Quod ſi ſtupor eximię liberalitatis tenuit Græcorum mentes, nos Braſilienſium animos ſimili bene-

neficio non ſe commoviſſe putabimus? tacuiſſe Luſitani Regis clementiam, manſuetudinem non celebraſſe? Ego equidem ſic exiſtimo, eos primùm ſecum ipſos recoluiſſe tot ornatiſſimas claſſes, tot inita prælia, tot exantlatos Luſitanorum labores, quibus demum coacti ſe in Victoris poteſtatem dediſſent; animo deindè volutantes leniſſimam victoriæ conditionem, propemodum ſibi ipſi non credere, id unum curaſſe victricem gentem, ut ex eorum moribus deletâ barbariâ, quaſi in

liber-

libertatem, atque in hominum genus reducerentur; denique, ut olim Græci numquam vehementiùs, quàm ſoluti, ac liberi ſervire Populo Romano, ejuſque tueri majeſtatem armis, opibus, vitâ ſtuduerunt; eos pariter beneficii magnitudine in eam voluntatem adductos, ut utilem quotidie magis navent operam Reipublicæ, cui ſingulari PETRI regis conſilio ſint reſtituti. Poteſt ne quidquam illuſtrius ad ſapientiæ commendationem excogitari? Iis artibus Mortalium ge-

nus ad obedientiam perducere, quibus maximè in ſpem libertatis erigitur ? Verùm quamvis in hoc præclaro, præſtantiſsimoque facinore ſingularis hæreat ſapientiæ laus, tamen in ſolertiſsimo Rege illud etiam longè præſtantius judico, cum tantum ipſe prudentiâ poſſet, voluiſſe ſibi minus prudentem videri, atque in re communi gerendâ non ſuo, ſed aliorum uti conſilio. Eſt plerumque apud maximos Principes in more poſitum, ita ex aliis conſilium quærere, tanquam ſi accipere
no-

nolint; ita dari, ut quiſque blandiendo ipſorum ſequi voluntatem, nemo auctoritate ſua præire velit. Sive illi ad gloriam dignitatis referant, ut Imperio,ſic mente cæteros antecellere;ſive ad pręſidium majeſtatis, nihil præterquam ſe auctoribus fieri. Cum tamen non rarò accidat, non ſatis illos vidiſſe, & re malè geſtâ, præpoſteræ prudentiæ pœnas Rempublicam luere. Non hoc profectò falſæ laudis decore captus eſt Rex ſapiẽtiſsimus PETRUS, qui ſemper ad magnos, & doctos Vi-

ros de ipsâ Republicâ retulit, nec umquam involutis negotiis explicandis operam dedit, quin eos ſententiam rogaret, atque eâ ſeveritate rogaret, ut qui non habita Regis ratione, quod è Republica exiſtimaſſet, libero judicio profiteretur, diligentiùs laudaret. Præclara quidem, & ad moderandas Imperii habænas ars plena ſalutis, & diſciplinæ; ſuâ ſolùm auctoritate ſummo cum Imperio præeſſe Reipublicæ, non ſuâ ſolùm virtute; optimis parère Civium conſiliis, ut meliùs Ci-

vibus

vibus imperes; non eſt cur amplius ullâ detinear admiratione, ſi tantùm ille prudentiâ valuit, cum tantùm apud ipſum gratiâ, & auctoritate ſapientes Viri, quorum præceptis luculēter imbutus omnem profectò bonarum artium ſcientiam ad Regni utilitatem conferre potuit. Iis autem quàm magnam, & quàm illuſtrem perſolvit collati beneficii gratiam? Commemorem ne ſummi Regis humanitatem, qua ſemper illos honeſtiſsimè excepit? benevolentiam, qua ſummis ho-

noribus auxit? liberalitatem, qua Præfecturis, Magiſtratibus, ampliſsimis Sacerdotiis ornavit? Quamquam non hanc imponam Virtuti injuriam, ut ſuas partes ſuſcipiam. Non deerit illa, quod numquam antea, officio ſuo, acceptaque laborum præmia poſteritati propagabit, ut ſint clariſsimo Regi ſempiternæ gloriæ monumentum. Multa à me dicta ſunt egregia documenta Sapientiæ, quæ pro Civium ſalute, pro ſtatu Reipublicæ Rex præſtantiſsimus dedit; multa tamen prætери-

ta ; nam ſi omnia vellem colligere, iis celebrandis nulla par inveniri poſſet Oratio. Me quoque jamdudum ad ſe vocat ipſius Sapientiæ lumen Religio, quam ille animo ſtirpitus infixam adeo vehementer coluit, ut in reliquis virtutibus à nemine victus, in hac ſe ipſe viciſſe videatur. Nemo eſt, Auditores, hoſpes adeo in rebus humanis, tam ſui, ac Reipublicæ ignarus, quem lateat, in Principum animis nullam tantam eſſe virtutem, quæ hominum generi majorem afferat utilitatis

fru-

fructum , quàm religionem ſacrorum, divinarumque legum ſanctiſſimam diſciplinā. Nam reliquæ virtutes partem ſolùm publicæ felicitatis cuſtodiendam ſuſcipiunt , earumque ſi deſit aliqua , ſtat cæterarum præſidio, & facilè Reſpublica ſuſtinetur. Religio autem , cum numquam poſſit ab honeſto diſcedere, ſuoque ſinu virtutes omnes excipiat, univerſam Civium ſalutem, otium, dignitatem tuetur, quæ ſi longiùs abſit à Principum mente, multa Cives perpeti mala, cuncta ti-

mere neceſſe habent;cum fas, jura, & quidquid bonorum eſt, in unius pietatis tutelâ ſint collocata, eamque ſolùm, veluti obſidem perpetuæ illorum in ſe voluntatis, teneat Reſpublica. Rex itaque ad hanc ſingularem, eximiamque virtutem eò ſe totum diligentiùs contulit, quò magis ad ineundam Numinis gratiam, ad conciliandam populorum felicitatem tantas obtinet vires. Quæ verò non fecit Religionis indicia? Quæ non reliquit monumenta pietatis? mittò ſæpiùs voluntariis

pœ-

Digitized by Google

pœnis expiatas animi ſordes; numquam ſolutas, ne affectâ quidem valetudine; ſeveriores aliquando ſibi impoſitas ſacri Jejunii leges; domeſticos, vel infimo loco natos, dum in Aula gravi morbo conflictarentur, opibus, ſermone, regii vultus hilaritate recreatos, atque in ſpem ſalutis erectos; dum mortem proximè oppeterent, ut cœleſti Cibo reficerentur, ab ipſo ſemper deductum è templo divinum Regem, reductumque fuiſſe. Prætereo ſummâ pietate conſtanter, amantiſsimèque

mèque delatum Sanctiſſimæ Dei Matri obſequium, cujus Imaginem à neceſſitate nuncupatam, ſummâ, antiquiſſimâque præditam religione, per omnem vitæ curſum ſtato, Divæque ſacro hæbdomadæ die ſemper eſt veneratus, eumque celeberrimum locũ, cum primùm morbo conflictari cæpit, qui ipſi poſtremus fuit, tamquam ultima redditurus officia, atque opem imploraturus adire voluit. Non dico; difficili Reipublicæ tempore numquam non publicis, privatiſque precibus, quas ille

pri-

primus obiret, Deum O. M. exoratum; re benè geſtâ decretas ſupplicationes; auctas donis, & Religioſo cultu Divorum aras, ac templa. Neque verò illa commemoro, quæ tamen in hoc hominum more,atque inſtituto multum ſplendoris habent, & dignitatis, ſingularem adverſus ſacerdotalis Ordinis, & ſacrarum Societatum Viros adhibitam reverentiam; cum iis familiarem uſum, qui ſanctitate cæteros excellerent, quorum unum è Franciſcana familiâ quandoque Domi conve-

venit, abjectamque cellam regiæ majeſtatis luce, ſe verò illuſtri demiſſionis gloriâ honeſtavit. Nec demum profero exornata ampliſſimis præmiis pietatis Opera, atque illud in primis clarum, ac memorabile: Sacerdotem humili ſtirpe natum, quod in ſummâ rerum ſuarum inopiâ ſeminuda pauperculi hominis membra pallii dimidiâ parte contexerat, præfecturâ ditiſſimi templi donatum; noluit enim illum amplius egeſtate, ac miſeriâ premi, qui vel ex ſuis anguſtiis alie-

nam

nam paupertatem ſuſtentaverat. Præclara hæc utique, & ſummis in laudibus poſita, ſed quæ illam ſolùm pietatis famam conficiant, quæ non publicæ, ſed privatæ utilitatis, officiique finibus circumſcribitur. Verùm de clariſſimi Principis religione, eam profectò expectationem movi, quæ privatis, uſitatiſque, quamvis maximis exemplis nequeat expleri. Video vos Auditores majora poſcere, ſingularia deſiderare, & quidem habeo, quæ vobis hujuſmodi afferam multa, atque

orna-

ornatiſsima Sed ut occurram ſatietati veſtræ, & aliquem modum ſtatuā orationi meæ, unum ſolùm ante oculos, animoſque veſtros proponam, in quo quidquid pietatem illuſtrat, mirificè ſplendet; ſtudium ſcilicet incredibile propagandæ ſanctiſſimæ Religionis, cunctaſque gentes ad veri Numinis obſequium perducendi. Quo ſanè ſtudio adeo vehementer exarſit, ut nihil in ea re conficienda ſibi reliquum fecerit. Quos enim ſummo cum Imperio præfecit Barbarorum nationibus,

quibus id primum non imperaverit, ut ad amplificandam Religionem, omnem ſuam curam, operam, diligentiam conferrent? Fidei duces munirent auctoritate; tyrones clementiâ confirmarent; hoſtes armis conficerent; proferri ſibi magis placere ſummi Numinis cultum, quàm regni fines. Aut quæ unquam barbara natio ab ipſo non retulit præſidia, aut ornamenta pietatis? Sinenſis, Maragnona, Braſilienſis, quas cum dico, Auditores, vos utique non ignoratis, immen-

ſa me dicere terrarum ſpatia, & ſingulis nominibus plura, variaque populorum genera deſignari. Iis enim, ſuis opibus, induſtriâque, quinque Antiſtitum ſedes, Pechini, Nanchini, Olindæ, in Maragnonibus, in Januarienſibus, veluti fidei propugnacula extruxit; Indorum pueris cœleſti doctrinâ, & bonis artibus expoliendis ludum aperuit; in media barbaria duo nova Religionis caſtra collocavit, eaque tuenda dedit clariſſimæ Societatis Jeſu familiæ; tot alia jamdiù poſita

maximâ auri, argentique vi luculentiùs munivit, undè ſtrenui Chriſti milites bellum impietati indicerent, manubiaſque referrent. Satis hæc ad graviſſimum pietatis nomen immortalitati tradendum; non ſatis ad PETRI Regis virtutem. Quid autem? habet ne Religionis amor aliquid illuſtrius, quò ſe poſſit conferre? Longiùs ille progreſſus eſt. Ipſe, ipſe, inquam, eâ voce, qua Jura populis dabat, eâ majeſtate, qua totum latè implebat Imperium ſuum, ſæpius iis, qui victi navali pre-

lio in ſervitutem fuerant adducti, ad ſeſe evocatis, aperuit divinæ ſcientiæ myſteria, præceptis, doctrinâque religionis erudivit. Quæ res cum ad me primùm delata fuit, fateor Auditores, non ſatis fidē adhibuiſſe; Videbatur enim incredibilis, inaudita. Sed cum totam teſtem habeam Luſitaniam, atque Ulyſſipone, ubi graviſſimus cunctarum nationum conventus eſt, celebrata fuerit, non eſt cur de illa quiſpiam dubitare poſſit. Quid dicam hoc loco? Pietatis eſt, Barbarorum ſuperſti-

tionibus commoveri. Humanitatis, iis delendis ſuppetias, atque opem ferre; Religionis, verâ fide impertire falſis cęremoniis imbutos. Eos autem inſtrui à Rege clariſſimo, maximiſque negotiis implicato, tanta res eſt, ut quo ſatis illuſtri nomine appellem, neſciam. O renovata hæroicorum temporum ſanctiſſima exempla! cum hi, qui rerum potiebantur, erant unà ſummi Dei Sacerdotes, & Sacrorum Antiſtites conſtituti! Nec tamen his omnibus contentus fuit. Quoties enim ex ipſo au-

dita

ditâ eſt magnifica vox illa, & regio animo digna, ſe religionis causâ in Aſiam imperium tenere; ad ipſarum tutelam exhauriri legionibus Luſitaniam, Ærarium pecuniis; nihil verò ſibi tanti eſſe, quin longè majoris non duceret, innumerabilem illam populorum multitudinem Deo tueri. Quod ſi ornatur eximiis laudibus Antiochus magnus ille rex Aſiæ, qui à Scipione devictus, cedere Imperii parte, ac Tauro tenùs regnare juſſus, optimè de ſe meruiſſe diceret Populum Romanum,

quod fuiſſet nimis amplâ regni procuratione liberatus ; qua donandus erit immortalitatis memoriâ rex maximus PETRUS, qui pro fidei utilitate non recuſavit in latiſſimas regiones curarum ſuarũ partem derivare ? Peperit ſibi Antiochus prudentię nomen, quod ex fortunæ conditione moderatus eſt animo ſuo. Majus utique debetur PETRO, quod nullâ moderatione uti voluit. Habetur egregius ille, quod fregit conſilii, aut neceſſitatis vi indomitas animi cupiditates. Non erit iſte in ęter-

na

na gloria, quod eas ipſas cupiditates in ampliſsima virtutis ſede collocavit, eaſque mirâ quadam felicitate Religioni ſervire coegit? Neque verò tantæ pietatis fructum non maximum cæpit, cum numquam veræ Fidei ſplendor longiùs illuxerit Barbarorum mentibus, nec ſaluberrima Chriſti doctrina per id locorum majora fecerit veſtigia. Quin ipſi in Aulam uſque deductū eſt ex Heſperidum inſulis præmium aliquod induſtriæ ſuæ. Hæres enim illius Regni, Patre per ætatem de-

tento,

tento, ad Luſitaniam appulit, ut regiis manibus è ſacro Fonte ſuſciperetur. O diem illum glorioſum Regi, barbaro Principi ſalutarem, jucundum chriſtianæ Reipublicæ! cum referto majori Ulyſipponis templo incredibili Civium, atque exterarum gentiũ multitudine ſolemni pompâ, & celeberrimo ritu obtulit PETRUS rerum omnium authori Deo hãc lectiſsimam frugem, in eâque uberrimam Chriſti fidelium meſſem, quam brevi gens illa, ſui Principis exemplo, datura erat in Eccleſiæ

cellam. Quo tum ille gaudio perfuſus! Quo omnium ſermone celebratus! Quæ Fidei ſpes! Quæ populorum lætitia! Enimverò ſuſceptum iſtud religionis munus adeo ipſi gratum fuit, ut eo nomine regium adoleſcentem magnificis ornatum verbis, clariſſimiſque donis ad Patrem remiſerit, ſummâque ſemper clementiâ ſit proſecutus? Quamquam quem non eſt proſecutus? Quem compotem ſuæ lenitatis, manſuetudinis, miſericordiæ non fecit? Nec erat, cur hanc præclaram, eximiã-

que

que virtutem ſibi totam non vindicaret; eſt enim perpetuò comes, atque adminiſtra religionis, quam ille adeo diligenter coluit; ejuſque præſertim munere longè Principes abſunt à reliquorum hominum conditione. Et nullum quidem fuit humanitatis, aut clementiæ genus, in quo illum non exercuerint mores mitiſſimi, ac ratio Reipublicæ. Faciles ad ipſum aditus; blandus, & familiaris ſermo vel cum ſervis, atque infimâ fortunâ viris, quos ſępe ad eorum leniendam ſervitu-

vitu-

vitutis, aut curarum moleſtiã alloquebatur; non contracta illi frons, non grave ſupercilium, non compoſitus ad ſeveritatem vultus. Nemo illum adibat, qui regiam clementiam non imploraret; nemo implorabat, cui, quantum fieri poſſet, cumulatè non ſatisfaceret; atque id medius fidius, eâ comitate, eâque amoris ſignificatione, ut veluti Cyrus illę rex maximus, & præſtantiſſimus à Xenofonte ad exemplum potius, quam ad hiſtorię veritatem propoſitus, beneficium videretur accipere,

re, cum rogaretur. Nec ſolùm eâ liberalitate uſus eſt, quæ maximis regibus in ſumma rerum omnium affluentiâ nihil affert incommodi, multum à Civibus benevolentiæ; tum verò illorum auget potentiæ gloriam, vires non frangit; ſed plurimos quoque ijs beneficiis donavit, quę magnis difficultatibus impedita, ejus profectò benignitatem retardant, qui vel ſuo damno aliorum ſervire utilitatibus, ſuoque detrimento explendum eſſe deſideriũ clementiæ non arbitratur. Quoties

ties enim quidpiam arduum rogatus,quod conceſſum moleſtiam ſibi ; negatum aliquam illaturum eſſet orantibus ægritudinem, noluit Rex clementiſſimus quemquam mærore affici, ac re libenter delatâ, non ego, inquit, committam, (quod erat ei familiariſſimum dictum), ut ullum cuipiam dolorem inuram, aut ſi cui hæreat infixus animo,ut non eripiam. Quid hic agam, Auditores? quid in re tam eximiâ verbis efferam, oratione proſequar,ſtudio complectar? Non ego, vel ſuis incommo-

dis comparata Civium commoda, ſummis laudibus extollam. Magnum id quidem, ſed eſt ex humana ſocietate, cum tantis circumfluas bonis, eorum aliquid alienis cupiditatibus remittere. Non beneficii liberalitatem celebrabo. Res utique egregia, ſed quam qui omiſerit, quandoque inhumani, nunquam non illiberalis hominis fama ſit ei ſubeunda. Illud, illud profectò ſummis ingenii viribus æternæ gloriæ commendandum eſt, quod non naturæ, ſed virtutis; non indolis, ſed miſeratio-

tionis eſſe , nemo dubitare queat,quodque Rex præſtantiſsimus, emiſsâ illâ dignâ immortalitatis voce,ſibi ſtirpitus adhærerè palam omnibus fecit : Ita alienis ærumnis affici, ut eas animo feras; ita ferre ut penitus, vel tuo incommodo extinctas velis. O divinam, ac ſingularem Civium illorum felicitatem, quibus, una leniendæ calamitatis certiſsima ratio eſt, Principis miſericordia. Læta ne ſibi, an triſtia afferantur, eodem vultu, eodemque animo accipiãt, cum in ejus clementiâ compertum habeant, æquè ſecu-

ritatem ineſſe lætitiæ ſuæ, atque ærumnarum præſidium. Age verò, non ſolùm precibus delinitus, verùm etiam irato animo, ac percito, non rarò benignitatis edidit ampliſſimos fructus, in ipsâque iracundiâ clariſſima, ampliſſimaque ſibi ſtatuit lenitatis tropæa; etenim in aliquos juſtiſſimâ incenſus irâ, non modo facilè paſſus eſt exorari, ſed illis idcircò beneficentiorem ſe reddidit, quod fuerat iratus; in eoque acerbo, graviſſimoque iræ, ac lenitatis conflictu, de ſe ipſe victoriam retulit, ut alteri triumphum

phum daret. Quâ tantâ benignitate cum ille prædıtus fuerit, mirari utique deſinam, ſi ad omne ſolicitudinum, ac miſeriarum genus diſſolvendum, profligandumque ſtudio, atque operâ incubuit. Nullum ſiquidem illarũ fuit, cui ſuppetias non venerit. Quid enim? Servitus in ſummis malis habetur? maximâ quotannis attributâ pecuniâ captivos è Barbarorum manibus eripuit. Acerba putatur incommoda valetudo? ad eam curandam, confirmandamque baptiſmate lavandis Valetudinarium extruxit; cæteris reſi-

ciendis conſtituit, qui arte, opibus, induſtriâ Regis nomine opem, atque auxilium ferrent. Angunt animum domeſticæ difficultates? Iis explicandis, ut ipſa res tulit, profectò non defuit. Effuſo enim Ærario, quot Virgines Regi acceptam referunt egregiam pudicitiæ laudem? Quot pueri doctrinæ decus, quot matres familias alimenta filiorum? Quid autem proferam numquam niſi leviſſima populis impoſuiſſe tributa? cum provinciarum Quęſtoribus id perpetuò imperaverit, ut in veteribus exigendis mitiùs ageret, nullâ-

nullâque habitâ ærarii, Pauperum rationem ducerent. Quid plerumque remiſſas dicam pecuniarum multas? cum plurimos ære alieno laborantes, è carcere ſuis copiis in annos ſingulos eduxerit. Quid reis, niſi grave Juſtitiæ vulnus infligeretur, conſervatam vitam commemorem? cum vel Civium ſuorum, qui naviculariam facerent, periculo Fezzæ Regem, cum iſte nondum regno potiretur, è Barbarorũ inſidiis elapſum texerit patrocinio, atque authoritate, eumque ad ſe confugientem, diffidentemque rebus ſuis erexe-

Digitized by Google

rit, & confirmaverit. Neque verò cum tam liberaliter Sapientiam, Religionem, Clementiam foverit amico ſinu, reliquis virtutibus nuntium remiſit; quin eas adeo luculenter coluit, atque obſervavit, ut ejus documento jam verũ videatur illud eſſe, quod Philoſophorũ nonnulli quaſi quiddam incredibile tradidiſſe literarum monumentis putantur: virtutes omnes arctiſſimâ inter ſe familiaritate conjungi, quique illarum aliquam hoſpitio acceperit, eum vel cæteras admittere, vel ab illa quoque deſeri, ac repu-

diari oportere. Quâ enim, & quàm ſingulari juſtitiâ fuit? ut numquam atrociora delicta ne clariſſimæ quidem Uxoris precibus condonaverit. Quâ conſtantiâ! quâ fide! quâ gravitate! ut Rege indignum exiſtimaret, vel ſcurrarum dicacitate remittere à curis animum, ac relaxare. Quo denique obſequio, quâ benevolentiâ in hanc principem Religionis Urbem, in maximum, clariſſimumque Pontificem, qui nunc ſummo terrarum Orbis bono, ac felicitate Chriſtianæ præeſt Reipublicæ, CLEMENTEM XI.; cujus aman-

tiſſimi animi ſui multa, eaque præclara, tum illud apertiſſimum dedit indicium, cum hiſce ſuperioribus annis Româ horribili terremotu concuſsâ, tot religioſiſſimis Divorum monumentis, atque ipſius, quod refugit animus cogitare, ſummi Sacerdotis vitá in diſcrimen adductis; conſervatis verò immortali Dei beneficio, & prope è faucibus fati ereptis, Rex ſingulari exemplo ad omnia Ulyſipponis templa Cives hoc nomine D.O.M. venerari juſſit; quin ipſe, præeuntibus Sacerdotum Collegiis, luſtratâ ſolemni-
bus

bus cęremoniis Urbe, ſanctiſſimo Patri, atque huic Imperio læta omnia, & proſpera precatus eſt. Illa etiam, in quibus regia quædam dignitas ineſt, quanta in ipſo fuerunt? ſumma eloquentia, qua facile mentes hominum flecteret, ac præſtans adeo memoria, ut ſi aliquem ſemel de facie noſſet, ejuſque rem compertam, exploratamque habuiſſet, illicò in mentem revocaret. Quibus præclaris, ampliſſimiſque virtutibus, atque egregiis animi bonis, ut nihil in optimo Rege ad Reipublicæ utilitatem deeſſet, felicitas etiam ac-

ceſsit, cum ſuo tempore nihil adverſi Luſitaniam invaſerit, nullum manaverit publicum malum; quin Fortuna incredibili benignitate ditiſsimas illi auri, atque argenti venas in Braſilia obtulerit, unde Ærario maximam pecuniarum vim ad belli nervos, ad pacis ornamentum ſuppeditaret, Ipſa denique Natura, ut honeſtando clariſſimo Principi nihil reliquum eſſet, quidquid bonorum habet ad regiæ majeſtatis decus, atque amplitudinem contulit. Nam & dignitas Oris, & proceritas corporis, & ingens quoddam vi-

rium robur, de quo meher-
cule mira prædicantur, tantã
ei gratiam, ac venerationem
conciliarunt,ut nemo Regem
ſingulari animi obſequio non
proſequeretur,ad quem ornã-
dum, amplificandumque Na-
tura, Virtus, & Fortuna con-
ſpiraverant. Quæ cum ita ſe
habeant, Luſitani Viri, ut ad
vos me convertam,par,pium,
& ſanctum eſſe intelligo, vos
triſti, & luctuoſo præſtantiſ-
ſimi Regis deſiderio teneri.
Quis enim tam durus, ac fer-
reus tantam felicitatem è ſinu
ſuo divelli ſine ullo doloris
ſenſu pati poſſit. Non ego
peni-

penitus veſtras lachrymas, ſqualorem, triſtitiam comprimo. Non eam laudo fortitudinem animi, quæ ſit humanitatis, obſequii, Reipublicæ oblita. Fit magna naturæ injuria, cum in tantis ærumnis nullo commoti mæroris impetu humanitatem exuimus. Fit major optimo Principi, cum ei morte deleto ne levi quidem luctu aliqua ſuorum in Cives meritorum gratia refertur. Denique fit maxima communi hominum ſocietati, cum ejus atrociſſimam plagam conſtanti vultu, placidis oculis intuemur. Verùm cum

gene-

generoſæ quoque indolis ſit ea moderatè ferre, quæ præſtare non poſſumus,ita mœrori indulgendum eſt,ut non quid vobis, hac regni calamitate ereptum fuerit, ſed quid ille reliquerit,cogitando, conceptam animo ęgritudinem deliniatis. Reliquit enim memoriã virtutum ſuarum,quæ ſint veſtris Regibus exẽplo;veſtræ Reipublicæ ſplendori; vobis, liberiſque veſtris ſempiternæ felicitatis pignori. Reliquit, quod longè majus eſt, lectiſſimos filios,ac pręſertim JOANNEM potentiſſimum Regem, cui,ut publico bono cõſulat,&

com-

cõmoda Reipublicæ tueatur, non minus tot Regnorum amplitudinem, quàm divitias animi ſui hæreditate tranſmiſit. Hoc ſuperſtite cum eadem Reſpublica ſibi reſtituta ſuo vulneri cicatricem ducat, vos etiam hoc ipſo beneficio recreati, ita lachrymis veſtris temperate, ut eas pietati potius, quàm ægritudini; officio, quâm dolori tribuendas eſſe cenſeatis. Et ſanè, JOANNES Rex maxime, ac præſtantiſſime in te habet Reſpublica, unde leniter clariſſimi Patris tui perferat deſiderium. Eæ ſiquidem tibi ſunt ingenii, at-

que

que animi vires, ut omnia Civium tuorum causâ poſſis; ii ſunt mores, atque indoles, ut quidquid poſſis, ad eorum decus, atque emolumentũ conferre velis. In hac viridi ætate, firmatâ jam in te ſtirpe virtutis, quos illa de te ſibi non ſpondet lætiſſimos fructus? quos illi tu non promittis? cum in hoc ipſo regnandi exordio ita belli, & pacis artibus inclarueris, ut nemo non videat eum te Regem fore, qui juſtitiâ, & clementiâ Cives; terrore, atque armis hoſtes in officio ſis detenturus. Quos etiam hactenus non

acce-

accepit ? cum illam beneficiis cumulando, ac benè agendo, te ipſe in dies magis, magiſque adeo ſuperes, ut hanc optimo, ornatiſſimoque Patri ſis facturus injuriam, ut ejus virtutes tuis virtutibus vincas; harum verò ſplendore, ac rerum eximiè geſtarum famâ totum brevi terrarum Orbem impleturus eſſe videaris.

FINIS.

MAG. 2016127

Digitized by Google

Digitized by Google